



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Occupatio animae Jesu Christo crucifixo devotae.

Leroy, François

Pragae, 1666

§.1. Eos qui præfestinè altiora illa affectant, ad id plerumque occultâ
superbia duci.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47123](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47123)

tabula, aut (quod huic loco magis convenit) à ferro seu scalpro absteineat; sed attentà Christi crucifixi contemplatione, ad ejus formam & imaginem sese componat perficiatque: ne si fortè nondum satis instructus virtutibus, aut in perfectæ abnegationis studio minùs exercitatus, ad altiora aspiraverit, multis ac gravibus in via spiritùs obnoxius sit periculis. quam rem (uti momenti permagni est in proposito) proximo capite aliquanto impensius pertractabimus.

C A P U T III.

Rem esse periculi plenissimam, præpropere omisso Christum crucifixum imitandi studio, sublimiores & insolitas divinæ contemplationis vias affectare.

EQuidem hac in re triplex potissimùm, & undequaq; grave, periculum deprehendo: primum, ab occulta superbia; alterum, ab amore proprio spirituali; postremum, à solidarum virtutum inopia atque vacuitate: de quorum singulis ordine suo differendum est.

§. I.

Eos qui præfestinè altiora illa affectant, ad id plerumquè occulta superbià duci.

PRimum igitur hoc loco satisque obvium periculum esse potest ab occulta superbia; dum quis aliquantum progressus in via spiritùs, & à noxis consuetis se abstinens, fortassis etiam (ut fieri amat sub initia) nonnullis divinis illecebris, solatiisque cœlestibus lactatus, eò confestim ad astruosiores & paucis cognitæ contemplandi vias aspirat, quòd perfectum se jam existimet, dignumque quem Deus magis inti-

intimâ dignetur familiaritate: certè tritas illas meditandi atque operosius discurrendi rationes, omnemque adeò circa Christi vitam & cruciatûs occupationem, minùs jam sibi convenire; quòd eæ artes tyronum propria atque incipientium sint, ultra quos ipse jam evaserit, summis propior effectus.

Quam ego occultam superbiam appello, quòd eum, qui eo teneatur morbo, ipsa lateat; cum interim aperta sit per sese, & manifestum indicium, hominem, non (uti sibi blandè perfvadet) ad perfectionem pervenisse, sed magnis adhuc animæ morbis, & (ut cum antiquo quodam hoc dicam) intercutibus vitijs, laborare.

Agell. l. 13. cap. 3.

Proprium quippe perfectorum est, ut (quod speciatim de S. Francisco legimus) humilitatis amore, sese in imperfectis, imò in numero peccatorum habeant, seseque indignos acceptis jam Dei donis existiment; multò minùs ut, rara, insveta, & paucissimis concessa affectent. Memirunt etenim præcepti Magistri nostri, quo invitati ad nuptias, consistere monemur in loco novissimo, dum superius jubeamur ascendere. Sciunt, sanctæ humilitatis ac demissionis studium, quovis eventu atque occasione, Deo semper esse placitum, & securam ad Deum atque divina viam munire: vias autem illas retrusiores, quæ sublimiores ac diviniore videantur, plerumque incertas, sæpe etiam grandibus periculis opportunas esse, nec rarò (quod nunc condecimus) occultæ superbix, & amoris proprio subtilissimo, materiam ac pabulum præbere. Proinde salubriter

hic præcipere S. Bernardum: *Oportet namque humiliter sentire de se nitentem ad altiora, ne dum supra se attollitur, cadat in Cant. à se, nisi in se firmiter per veram humilitatem fuerit solidatus.* Quibus affinia sunt illa sapientiæ verba apud Henricum Susonem: *Nemo potest ad divinitatis meæ celsitudinem atque ad insolitam pertingere suavitatem, nisi antè per humanitatis meæ ducam*

Dial. c. 2.

duca-

Instit. spir. cap. 6.
 ducatur amaritudinem. Nam quò quispiam sine hac altius ascendere nititur, eò profundius prolabetur. Et illa Abbatis Bloisij: Frustra sanè asceta aspirat ad mysticam germanamque contemplationem, si se exercere non vult in meditatione passionis Dominicae, ac verà humilitate. Nam nisi illam profundamento habeat, quò per contemplationem altius ascendere perentaverit, eò profundius corruet. Sic illi.

Ex quibus apparet, quanti ea res sit periculi; eoque studiosius esse cavendam, quò facilius incautis potest obrepere.

Philip. 3. L. 24. Mor. cap. 13.
 Neque enim, ut indicabamus, quidquam est; factu proclivius, quàm ut ijs, qui jam nonnihil in via spiritali processerint, aut sensum aliquem rerum divinarum acceperint, imponat blanda persuasio, ut contrà quàm de se sentiebat Apostolus, arbitrentur se jam comprehendisse, aut perfectos esse. Nam, ut sapienter admonet S. Gregorius: *Plerumque in eo quisque conversus labitur, quod dum quibusdam donis gratia, dulcedine inchoationis, excipitur, consummationem accepisse se perfectionis arbitrat; & plenitudinis consummationem aestimat, qua adhuc blandimenta esse inchoationis ignorat.* Atqui oppositâ, me autore, viâ procedet, quisquis periculi securus esse voluerit.

Rara enim avis est in terris, rarus (mihi crede) homo perfectus: rarus, qui seipsum non omni duntaxat carnali aut terreno affectu, sed omni etiam (uti loquuntur) sui proprietate exuit; qui mundo mortuus, mundo crucifixus, & cum Christo cruci confixus sit; qui demum ad eam mentis & corporis puritatem pervenerit, ut non indecorè ad oris divini osculum, & intimos illos aspirare possit amplexus. Quanquam neque qui hujusmodi sit, continuò aut sponte suâ, in arcanum Regis coelestis cubiculum irruet, sed indignum sese omni Dei domo sentiens, foris stabit verecundè excubans, expectansque, si quando jubeatur ad interiora.
 succe-

succedere. Eò quippe quisque humilior est, quo sanctior : & potius eligit securâ humilitate Deo placere, quàm vel temerariâ curiositate, vel periculosâ familiaritate, ad eum propiùs accedere.

Attende hîc Sponsæ verecundiam: *Introduxit me Rex* Cant. 1.
(inquit) *in cellam vinariam.* Non audet Sponsa, nisi ipso Et 2.
Rege ac Sponso introducente, intrare in cellam vinariam, in secretas charitatis apothecas; & tu in illas invocatus te ingeres, & promptuariâ divinæ dulcedinis, paucis & intimis familiarium reposita ac reservata, perrumpes? Singularissimum Dei donum est, arcana ac pura Dei contemplatio; neque humano studio, diligentia, industria (etiam cum consuetis divinæ gratiæ subsidijs) parari solet; sed Dei liberalitate & favore extraordinario, & paucis omnino, conceditur. Proindéque hoc ipsum argumentum tractans S. Bernardus, aliique Patres relati à P. Thoma à Iesu in opere de contemplatione divina, rectissimè admonent: neque omnes qui perfecti sint, ad sublimem illam divinæ contemplationis formam locari; neque hoc ipso quod ad illam, quisquam eleveltur & admittitur, hoc ipso, inquam, censendum esse perfectum. Li 1. c. 9. Indicatque itidem S. Terefia subinde In Vita sua cap. 22.
ad specialem Dei familiaritatem vocari animam nondum virtute perfectam. Id ita agente paternâ videlicet Dei providentiâ; ut & se Dominum donorum suorum ostendat; & ij qui jam perfecti videntur, in Dei donis non extollantur, nec ea attribuant suis meritis: quippe quæ videant, aut alijs dignioribus negari, aut etiam minus dignis concedi. Et qui miâs perfectos se sentiunt, dum se donis acceptis omnino indignos agnoscunt, hoc securiùs se in sancta humilitate contineant, & ad sincerum ac purum munificentissimi largitoris amorem magis accendantur. Ita in utrisque conservatur sanctæ humilitatis studium, sinè quo esset inutilis, imò perniciosa, quantumvis sublimis Dei contemplatio.

Ex

Ex his autem & illud ulterius conficitur, quod & per se plurimum interest, & apprimè facit ad rem præsentem: perfectionem vitæ spiritualis in sublimi illa Dei contemplatione non consistere, sed neque illius jam acquisitæ, hoc certum pignus aut signum esse; cum, ut modò vidimus, subinde ad donum divinæ contemplationis eleventur, qui adhuc in vita spiritali imperfecti sint, idèmq; multis negetur, qui sint perfecti.

§. 2.

In eo negotio non raro amorem proprium, & privatam sui acquisitionem latere.

Alterum periculum est ab amore proprio spiritali. Quo nomine eum animi affectum intelligo, quo quis res etiam spirituales ac sanctas, ipsæque etiam gratiæ dona impurè & inordinatè diligit, & cum proprietate possidet, non Deum in illis, seu Dei beneplacitum ac gloriam, sed seipsum, hoc est proprium suum gustum, affectum, delectationem exquirens, inque eorum, licet spiritali dulcedine, sordidè & intemperanter acquiescens. Quem affectum invenio à

*Serm. 2. de
Quadrage.
Lansp. pref.
Phar.
Blos. tab.
spir.
Dialog. c. 1.
Vis. c. 25.*

*Instit. spir.
cap. 2.*

Joanne Taulero non incongruenter fornicationem spiritualem, à Lanspergio autem & Blofio, gulam spiritualem appellatum. De quo etiam agens S. Catharina Senensis, amorem proprium spiritualem affirmat esse graviorem ac periculosiorem amore rerum in sensus ipsos incurrentium, eumque à paucis caveri; quòd magis subtilis, atque observatu difficilis sit, ut qui sub boni larva subintret, & specie virtutis ac sanctitatis decipiat. Itaque etiam Lætienfis Abbas ascetam suum studiosè admonet; ne immoderatè suavitatem spiritualem appetat, ut quæ in solo Deo, non autem in donis ejus quiescat. *Siquidem (inquit) corrupta natura,*

ad